

CRITICA ET HERMENEUTICA

I. Didicerat, opinor, Ulixes adulescens rhetorica, sicut docuerat Phoenix Achillem poeta teste I_(IX) 443: *μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι* e. q. s. Nam et blanda et docta oratione adloquitur naufragus Nausicaam, cuius epilodus ζ 180 exit in piam deorum imprecationem, hoc modo:

180 σοὶ δὲ θεοὶ τόσα δοῖεν, ὅσα φρεσὶ σῆσι μεινωῖς,
ἄνδρα τε καὶ οἶκον· καὶ ὁμοφροσύνην ὀπάσειαν
ἔσθλήν· οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρείσσον καὶ ἄρειον,
ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασι οἶκον ἔχητον
ἄνηρ ἠδὲ γυνή, πόλλ' ἄλγεα δυσμνέεσσι,
185 χάσματα δ' εὐμενέτησι· μάλιστα δέ τ' ἔκλυον αὐτοί.

Versui 185 alogum oportet affigas, nam sensu caret. Quem qui interpretari se posse affirmarunt, ipsi sese deceperunt: quorum de sententiis et olim copiose actum est et modo breuiter refertur Philol. Wochenschr. LIV 1934 p. 488. Atque repudiauit eiusmodi errores Augustus Nauck, qui breuiter adnotauit: *ἔκλυον αὐτοὶ uerba uitiosa*. Melius erat scribere: *locus uitiosus*, nam uerba omnia sana esse consuetudo et usus sermonis epici euincit. Veluti *ἔκλυον* uerbum recte positum esse uersus A 218 demonstrat: *ὅς κε θεοῖς ἐπιπειθήηται, μάλιστ' ἔκλυον αὐτοῦ*. Aoristi gnomici usum in eodem uerbo sollemnem esse exempla in Bernardi Gerth Satzlehre (1898) I p. 160 proposita comprobant: Ω 334: *Ἐρμεία . . . καὶ τ' ἔκλυες, ᾧ κ' ἐθέλησθα*. I_(IX) 509: *τόν δὲ μέγ' ὤνησαν καὶ τ' ἔκλυον εὐχομένοιο*: de dis igitur agi apparet, qui *ἐπήκοοι* uocantur. Praeterea etiam in particularum *δέ τε* uel *δέ καὶ* delicata copulatione genuinum poetam licet agnoscere, quae particulae in eadem uersus sede copulantur N 733: *τοῦ δέ τε πολλοὶ ἐπανόρισκοντ' ἄνθρωποι Καὶ τε πολέας ἐσάωσε, μάλιστα δὲ καὶ αὐτὸς*

ἀνέγνω. Cuius uersus exitum comparat Ludwich cum exitu Z 260:

ἔπειτα δὲ καὶ τὸς ὀνήσεται, αἶ κε πῆσθα:

item cum uersu γ 255:

ἦ τοι μὲν τόδε καὶ τὸς ὄτει, ὡς κεν ἐτύχθη . . .

Quos uersus iure comparauit ille, nam simili modo uariantur particularum δέ τε quod legitur N 733, et δὲ καί quod legitur N 734, et μὲν καί quod legitur γ 255 paria. Itaque si unaquaeque syllaba legitime posita erit in illo uersu neque tamen tota sententia recte poterit intellegi, efficitur non integrum uersum esse seruatum, sed partem uersus tantummodo, qui suo egeat supplemento, ita ut uerba u. 185: *μάλιστα δέ τ' ἔκλυον αὐτοὶ* stare non possint, nisi addantur minimum substantium *θεοὶ* et genetiuis *αὐτῶν*: multi uersus epici profecto exeunt in uerba *θεοὶ αὐτοί*, quales leguntur a 384 λ 139 I 497 Φ 215, quae uerba hoc loco in duos uersus erant dispersita. Hiare denique epilogum Ulixis in fine inde intellegitur, quod nemo poeta talia sola uaticinatur aut pollicetur mulieri de matrimonio concordī, qualia hoc loco leguntur fore hoc matrimonium *πόλλ' ἄλγεα δυσμενέεσσιν, χάρματα δ' εὐμενέτησι*: sed debuit addere deos fore faciles eis et propitios omnes, Iouemque ipsum domum augere ope opulencia copia omni. Parua enim Achillis oratio A 218 hac sententia finitur: *ὅς κε θεοῖς ἐπιπέθῃται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ*. Quae sententia illic positio gradu exornata hoc loco ita augetur, ut posita sit cum gradu superlatiuo *μάλιστα δέ τ' ἔκλυον αὐτοὶ*:

χάρματα δ' εὐμενέτησι· μάλιστα δέ τ' ἔκλυον αὐτοὶ

<τῶν θεοῖ ἀθάνατοι, μάκαρες, δωτηῆρες εἰών.>

Plura tamen eiusmodi supplementa commoda commode poterunt commendari. Quod unum tamen inprimis coniugis concordiae promittitur ab Ulixē, Penelopae marito, audituros esse deos summo opere precantium pia uota, id scilicet omnium indicatur esse optimum. De religione deorum qui dicuntur *ἐπήκοοι* egit Weinreich Athen. Mitteil. XXXVII 1912 p. 1 seqq. Zingerle Archiv f. Religionswiss. XXVII 1929 p. 53, quorum numinum audientiam Horatius laudat carm. IV 13 uerbo audiendi bis adhibito: 'Audiuere, Lyce, di mea uota, di Audiuere, Lyce', i. e. *μάλιστα δέ τ' ἔκλυον θεοὶ αὐτοί*.

Quodsi recte demonstratum est locum s. s. Odysseae decurtatum fuisse antiquitus, inde id potissimum, quod summo opere memorabile est, efficitur, ex uno eodemque exemplari corrupto, quidquid hodie exstat carminum Odysseae, esse deductum a librariis, neque umquam postea inuentum esse librum integrum, unde, qui perierat uersus, potuerit recuperari. Neque aliter factum esse in Iliade postea demonstrabitur.

Bonnae.

Fridericus Marx.